



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

17. Cognitio & amor Passionis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XVII.

Cognitio & Dilectio Passionis  
& mortis D. N. JESU  
Christi.

TEXTUS.

*Qui dilexit me, & tradidit  
semetipsum propter me. Ad  
Gal. c. 2.*

*Cognitio.*

I. **O** Dulcissime Redemptor! Quid com-  
meruisti, ut adeò durè tractareris? Ut  
pro me, ex amore, sustineres pauperiem, de-  
relictionem, ignominiam, contumeliam,  
illusionem, summos in membris omnibus  
dolores, verbera, vulnera, tormenta, flagel-  
la, clavos, spinas, lanceam, ac mortem pro-  
brosissimam.

II. *O quod scelus tuum? Qua noxa tua?  
Qua causa mortis? Qua occasio tua damna-  
tionis? Ego enim sum tui plaga doloris; ego  
culpa occisionis; ego tuae mortis meritum; tua  
vindicta flagitium. O mirabilis censura con-  
ditio! peccat iniquus, & punitur iustus: de-  
lin-*

*linquit reus, & vapulat innocens: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. S. Aug. med. c. 7.*

III. *O Nate Dei, quò tua flagravìt charitas? Quò processit pietas? Quò descendit humilitas: ego iniquè egi, Tu pœna multaris: ego inobediens extiti, Tu obediens scelus inobedientia luis: ego gula parui, Tu inediâ afficeris: me ad illicitam rapuit concupiscentiam arbor, Te perfecta charitas duxit ad crucem. S. August. l. c.*

### *Dilectio.*

Nunc igitur Rex meus, & Salvator meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmiis: totum me tibi debeo, quia creâsti me; totum me tibi debeo, quia conservâsti me: quid debeo, quia refecisti & redemisti me? Et mortem crucis sustinuisti pro me. O si mille vitas tibi offerre liceret! O si millies mortem oppetere valerem! Cùm verò id non liceat, suscipe Domine, in pignus amoris & gratitudinis me totum cum omnibus, quæ habeo & valeo. Suscipe universam libertatem meam, memoriam, intellectum & voluntatem: amorem Tuum solum cum gratia tua mihi dona, & dives sum satis.

*Aspi-*

*Aspirationes.*

I. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. Thren. c. 1. 12.

II. Respice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus ad redimendum. S. Aug.

III. Hec quanta sint cogitate, hac in statera cordis vestri appendite; & totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in cruce. S. Aug. L. de Virg.

P A S S U S XVIII.

Cognitio & Dilectio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

T E X T U S.

*Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*  
Joan. c. 6.

*Cognitio.*

I. **S**alvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit,